

1500 plus viginti, quam quidem paucorum dierum spatio magna cum diligentia, tum vero etiam severitate adhibita, remigibus, militibus, rebusque omnibus ornatorem melioremque reddiderat; ad hostium classem insequendam se se promovet, eo animo, ut si assequi posset, prælium committeret. Sed rex de illius ad Zacynthum adventu certior factus, suæ classis præfectis, ut domum redirent, Byzantiumque se recipierent, imperavit: posteroque die ipse, qui quidem non magnopere suis jam copiis confidebat; propterea quod neque parvam, neque fane spernendam militum equitumque partem eorum, qui Methonem obsedissent, eo in bello expugnatione neque amiserat; omni cum exercitu abiit. Eodem tempore Pisaurus Naupliam speculatoriis præmissis navibus classem Thraciam & exercitum abiisse certior factus, Aeginam contendit, expositisque militibus, Turcas, qui præerant, interfecit, eorum duce capto: atque insulam reipublicæ restituit. Mitylenen deinde triremibus levioribus accelerans, quo appulso hostes intellexerat, ferro atque igni omnia demetens, prædam, & quidem opulentam, quam abegerat, remigibus & militibus concessit: posteroque die Tenedum diripuit, incendit, classisque hostium fugientis atque in Euripi angustias jam ingressæ reliquias affecutus, naves complures extremo in agmine cum hominibus cepit: fixisque utroque in littore non unis crucibus, captos Europæ atque Asiaræ spectaculo reste suspendit, agros & vicos depopulatus, ut qui oras incolerent magnopere perterrerentur. Samothraciam ad insulam post hæc eadem celeritate adveniens, cum intellexisset oppidanos ægerrime Turcarum imperium perpeti, Aloisio Decanali triremis præfecto ad oppidum misslo, eos libentissimos in dedicationem recepit: potentibusque civem Venetum qui præcesset, pollicitus est se missurum. Ili partem decimam suorum frumentum quotannis ei se datus receperunt. Deinde Carysto direpta, ad naves longas majores onerariæisque rediens, Naupliam se contulit, municipibusque & militibus collaudatis, stipendio, quos oportuit, recreavit, & sua liberalitate sublevavit. His confectis rebus discedens, dum Coronæ littora prætervehitur, de Carolo Contareno, qui magistratus reipublicæ

Benedicti
Pisauri res-
pecta in ma-
ri Aegeo.